UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1663. usque ad annum 1674

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119193

§. 46. Quædam Clementis X. Constitutiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67332

Visual Library

Sæc. XVII. A.C. 1671.

illius anni editioni præfigeretur, ea tamen lege, ut viginti ſex propoſitiones corrigerentur: poſtquam vero nonniſi pauciſſimas, de quibus conventum erat, correctas noverat, ipſus ſuam juſtificationem ſuppreſſit: non ergo Quesneliſtæ habent, quod de tot Præſulum approbatione gloriarentur.

§. XLVI.

Quædam Clementis X. Conſtitutiones.

Bull. magn. Clem. X. tom. 6.

Inter plures Conſtitutiones Clemens X. hoc anno die vigeſima octava Januarii & ſeptima Februarii confirmavit S. R. E. Cardinalium declarationes de cultu hominum memoriam excedente Beatæ Ludovicæ, & Ferdinandi III. Regis Caſtellæ & Legionis. Extendit etiam die decima ſexta Februarii indulgentias Sodalibus S. Roſarii conceſſas ad omnes, qui quolibet Menſe proceſſioni & Miſſæ interſunt: Tranſtulit quoque Feſtum S. Didaci ad decimam tertiam Novembris. Die autem vigeſima ſexta Martii Bullam Cænæ innovavit, ac die ſexta Aprilis Univerſitatem ſtudii generalis in Urbinatenſi Civitate erexit, conceſſis iisdem privilegiis, quibus Ferrarienſis Academia fruebatur. Declaravit inſuper Pontifex die decima quinta Maij, quod Romani, aliique

aliique ditionis Pontificiæ Nobiles commercia ſine præjudicio Nobilitatis exercere valerent. Sequentis vero Menſis die decima conceſſit Pontifex, ut officium & Miſſa de B. Gundiſalvo Amarante Ord. Præd. non modo in Luſitania, ſed in toto S. Dominici Ordine celebrari poſſit, & Theatini officium de Purificatione B. V. cum octava quotannis recitare valeant. Denique Eccleſias viſitantibus conceſſit indulgentias in die SS. Auguſtini, Monicæ, Nicolai Tolentinatis, Thomæ de Villanova, Benedicti, Scholaſticæ, Placidi, Mauri, & Nominis Mariæ omnibus Hiſpanis, qui die decima ſeptima Septembris Miſſæ interfuerint. Sæc. XVII. A. C. 1671.

§. XLVII.

Diverſæ S. Congregationum Romanarum deciſiones.

Exortis ſubinde dubiis ſacræ Congregationes Romanæ varias ediderunt deciſiones, & quidem Rota Romana die vigeſima Aprilis declaravit, quod in indulto, quo in Oratorio privato Miſſam in petentis & *familiæ ſuæ* præſentia celebrandi facultas conceditur, nomine familiæ duntaxat Agnati veniant, v. g. Pater, Mater, Uxor petentis, Filii, Filiæ, Nurus & Nepotes, *S. Congr. Rotæ Rit. &c. deciſ.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN